E. G. V. M. VAN DER PLAAT,

DE

HEREDE INDIGNO.

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

DE

HEREDE INDIGNO.

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

DE

HEREDE INDIGNO,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JANI ACKERSDIJCK,

JUR. UTR. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN

JURE ROMANO ET HODIERNO

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ENGELBERTUS GEORGIUS VINCENTIUS MAXIMILIANUS VAN DER PLAAT,

AMSTELAEDAMENSIS.

A. D. XVIII. NOVEMBRIS, ANNI MDCCCXL, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

SCHULTZE & VOERMANS

TYPIS MANDARUNT.

MDCCCXL.

PARENTIBUS OPTIMIS

CARISSIMIS.

D. D. D.

AUCTOR.

SPECIMINIS CONSPECTUS.

INTROITUS.

Non facile negabit quis legis dispositionum aequitatem, quibus bona ejus, qui e vita migravit, personis, quae censentur dilectissimae, adjudicantur. Merito enim praesumitur quis non aliis quam personis dilectissimis bona sua port mortem relinquere voluisse, si voluntatem suam non expresse declaraverit. Hanc ob praesumtionem ut bona demortui ad proximos suos cognatos pertineant lex statuit, qui ex regula defuncto dilectissimi fuisse cen-

sentur. Fieri quidem potest, ut vel propter beneficia illata vel aliamcunque ob causam amicum majore quam propinquum amore amplexus sit defunctus; sed si certum quoddam jus constituendum est, id praecipue ante oculos habere legumlatorem oportet, quod ut plurimum accidit. Insuper ordine succedendi determinato, quemadmodum eum in lege determinatum invenimus, ita scilicet, ut intestati hereditas proximo concedatur, multae praecaventur difficultates et controversiae; cognationis enim gradus facile statuendi et dijudicandi sunt, cum e contrario de gradibus amicitiae nihil nisi dubium et incertum designare possimus.

Praeter gradus vero proximitatem, ad succedendum adhuc requiritur ut is qui succedit, habeat capacitatem, neque sit indignus qui succedat. Licet quidem utraque res eum habeat finem, ut illum, qui propter gradus

proximitatem heres esse deberet, ab hereditate removeat, incapacitas tamen cum indignitate non est confundenda. Non una enim est differentia inter duas hasce res, tum quod varios effectus, tum quod ipsam causam attinet, ex qua quaevis oritur.

Non est hujus loci multis differentiam inter incapacitatem indignitatemque explicare; unum hocce monuisse sufficiat: legislatorem in statuendis causis, ob quas quis incapax et ob quas quis indignus dicendus sit, in illis naturalem vel civilem, in his vero magis moralem heredis conditionem spectasse videri. Quae animadversio magni cujusdam momenti esse videtur, quia si rite illud teneamus, multum hoc efficiet ad veram legislatoris mentem explorandam in dubiis, quibus juris civilis locus de incapacitate et indignitate ansam praebere solet.

Dissertationis alicujus conscribendae nobis officio imposito, locum de indignitate in suc-

cessione explorare constituimus; quod juris studio operam navaturo eo majorem habet utilitatem, quia legislatores nostri in constituenda hac juris parte, licet iisdem principiis nisi sint, juris Francici tamen praecepta ampliarunt, et aliquomodo ab iis recesserunt. In hoc autem argumento elaborando, ita operam instituemus ut, praemonitis quibusdam de incapacitate ex jure Romano uberius praecepta juris Francici investigemus, atque deinceps differentias annotemus, quae jus nostrum hodiernum inter et jus Francicum obtinent.

Caput Primum.

DE INDIGNITATIS CAUSIS EX JURE ROMANO.

Plures, quam jure hodierno statutae sunt, indignitatis causae jure Romano occurrunt. Varias vero Romanorum leges de indignitate perscrutari; de quaestionibus, quae in hac materia exoriri solent disputare, vel interpretum diversas sententias exponere, nobis non proposuimus, quia, si omnia illa rite pertractare vellemus, hoc dissertationis accademicae fines longe egrederetur.

Nobis igitur sufficiat paucis praecipuas causas enumerare, quae jure Romano aliquem indignum reddebant qui succederet.

Sic jure Romano ut indigno hereditas aufertur, si quis vivi ignorantis bona vel partem bonorum alicuius cognati donaverit; 1) si quis manifestissime comprobatus sit id egisse, ut per negligentiam et culpam suam mulier, a qua heres institutus est moreretur. 2)

Si heres defuncti necem non ulciscatur. 3)

Si inimicitiae capitales intervenerunt inter legatarium et testatorem. 4)

Si institutus palam et aperte testatori male-

---

1) L. 2. § 3. D. de his quae ut indignis

2) L. 3. D. eod.

3) L. 17. 18. 21. D. eod. l. 29. § 2. D. de jure Fisci. l. 1. C. de his quibus ut indignis. *Minoribus viginti quinque annis heredibus non obesse crimen inultae mortis placuit.* L. 6. Cod. eod.

4) L. 9. pr. D. eod.

dixerit et infaustas voces adversus eum jactaverit. 1)

Si status ejus controversiam moverit. 2)

Si quis ne testamentum ordinaretur impedimento fuisse monstratur, eum ut indignam personam a successionis compendio removeri, certissimi juris est. 3)

Si heres legitimus prohibuerit, quominus defunctus testamentum conderet. 4)

Si heres institutus dolo fecerit, quominus testamentum mutaretur. 5)

Si quis dolo fecerit, ut testes non veniant et per hoc deficiatur facultas testamenti faciendi. 6)

1) L. 9. § 1. D. eod.

2) L. 9. § 2. D. eod.

3) L. 2. C. Si quis aliquem testari prohibuerit vel coëgerit.

4) L. 1. pr. D. si quis aliquem testari prohibuerit.

5) L. 1. § 2. eod.

6) L. 2. pr. D. eod.

Si legitimus heres institutus testamentum codicillosve suppresserit, dodrans a fisco vindicabatur. [1])

Si heres testamentum falsum dixerit et ei denegentur actiones. [2])

Si filius emancipatus bonorum possessionem patris ut praeteritus petierit et ex substitutione impuberis adierit hereditatem. [3])

Si quis contra mandata duxerit uxorem ex ea provincia, in qua officium aliquod gerit; quod ei ex testamento uxoris acquisitum est Divi Severus et Antoninus rescripserunt retinere eum non posse. Tamquam si tutor pupillam contra decretum Amplissimi Ordinis in domum suam duxisset. Per contrarium autem ducta tam ab eo, qui officium

---

1) L. 4. § 1. D. ad l. Corn. de Falsis.

2) L. 29. § 1. D. de jure Fisci.

3) L. 2. pr. D. de his quae ut indignis.

in Provincia gerebat quam a tutore illicite, magis est ut dicatur capere illam ex testamento. [1])

Si quis illicitum matrimonium contraxerit, v. g. adulter cum rea adulterii. [2])

Si mulier stupro cognita in contubernio militis fuerit, ad testamentum jure militiae factum non admittitur. [3]) Stuprum autem in ea contrahi non intelligitur, quae se non patroni concubinam esse patitur. [4])

Si quis in fraudem juris, fidem accommodaverit, i. e., si quis id quod relinquitur vel aliud tacite promiserit relicturum se personae, quae legibus ex testamento capere prohibetur. [5])

---

1) L. 2. pr. et § 1. D. eod. cf. l. 128. D. de legatis I.

2) L. 13. D. de his quae ut indignis.

3) L. 14. D. eod.

4) L. 16. § 1. D. eod.

5) L. 10. 11. 18. 23. D. eod.

Cum quidam scripsisset heredes quos instituere non poterat; quamvis institutio non valeret, neque superius testamentum ruptum esset, heredibus tamen priore testamento scriptis, ut indignis hereditas aufertur. 1)

Aufertur ei quasi indigno successio, qui, quum heres institutus esset, ut filius post mortem eius qui pater dicebatur, suppositus declaratus est. 2)

Si quis tutor datus a tutela sese excusaverit, amittit legata testamento relicta. 3)

Has indignitatis causas enumerasse sufficiat; sunt plures adhuc in titulo Digestorum *de his quae ut indignis* obviae, quas tamen omnes recensere necesse non habemus.

Animadvertendum est, hereditatem in casu

---

1) L. 12. D. eod.

2) L. 46. pr. D. de jure Fisci.

3) L. 5. § 2. D. de his quae ut indignis.

indignitatis regulariter fisco vindicari; cujus tamen regulae exceptiones quaedam admittuntur, verbi causa, in casu quo tutori, qui sese a tutela excusavit, legatum denegatur; legatum illud non ad fiscum transfertur, sed relinquitur filio, cujus utilitates desertae sunt. [1])

Ceterum monendum est vocem *indignus* non in omnibus legibus eandem habere significationem. In nonnullis enim legibus ea voce significari non videtur, ut is, qui indignus dicitur, talis sit strictiori hujus vocabuli sensu, propter aliquod delictum vel vitium morale; sed videntur Romani sub ea voce etiam illos intellexisse, qui propter praesumendam testatoris voluntatem ad successionem admitti non potuerunt. [2]) Quod postremum quam maxime efficit, ut tanta apud Romanos indignitatis causa-

1) L. 2. § 2. D. eod.

2) Cf. ex gr. l. 12. D. de his quae ut indignis.

rum exstaret copia. Sub specioso enim voluntatis defuncti exsequendae praetextu, injustae saepe et odiosae instituebantur indagationes; multaeque excogitabantur causae, ex quibus de mutata defuncti voluntate patere posset, eum in finem, ut heredes legitimi vel instituti ut indigni ab hereditate removerentur. Causae indignitatis dubiae et incertae erant, exfactis ambiguis pendentes, interpretationi saepe arbitrariae subjectae.

Huic vitio egregie obviam ivit tum Francicus, tum Francicum secutus Patrius legislator, paucas easque certas et determinatas indignitatis causas adoptando; atque lege enumerando casus, in quibus defunctus praesumendus est noluisse eum, qui facta lege speciatim enumerata admiserit, ad ipsius hereditatem pervenire, legislator sapienter omnes quaestiones amovit, quae ex praesumendae defuncti voluntatis indagatione facile oriri possent.

Quaenam vero causae indignitatis constitutae sint tum in Codice Francico, tum in Codice nostro hodierno, videamus. Initium faciemus a causis indignitatis, quae in Codice Francico inveniuntur.

Caput Secundum.

DE INDIGNITATIS CAUSIS SECUNDUM CODICEM CIVILEM FRANCICUM.

Causae, quae aliquem indignum reddunt qui succedat, jure Francico tres sunt numero; eaeque enumerantur in art. 727 Cod. Civ.

« *Sont indignes de succéder et comme tels exclus des successions:*

1°. *Celui qui serait condamné pour avoir donné ou tenté de donner la mort au défunt.*

2°. *Celui qui a porté contre le défunt une accusation capitale jugée calomnieuse.*

3°. *l'Héritier majeur qui, instruit du meurtre du défunt, ne l'aura pas dénoncé à la justice.»*

De singulis hisce causis ordine agemus.

§ 1.

DE EO, QUI DEFUNCTO MORTEM INTULIT, VEL INFERRE EST CONATUS ATQUE IDCIRCO JUDICIO CONDEMNATUS EST.

Haud immerito in primo indignorum ordine collocantur ii, qui, defuncto morte illata vel mortem inferre conati, idcirco condemnati fuerunt.

«*La principale cause*» ait Pothier «*qui rend un parent indigne de la succession de son parent, c'est lorsqu'il est coupable de sa mort, car son crime ne doit pas lui procurer l'avantage d'une succession.*» Naturae enim repugnat, homicidam ingratum, manibus cruore adhuc rorantibus, spoliis victimae locupletari,

atque ita nefandi criminis pretium recipere; et prouti criminis conatus pro ipso crimine habetur, [1] aeque indignus, qui succedat, est ille, qui homicidium perpetrare conatus est ac qui illud revera consumavit. Ita quoque dicit articulis 727: «*Celui qui serait condamné pour avoir donné ou* tenté *de donner la mort au défunt.*»

Non solum autem is qui physice mortem intulit vel inferre conatus est, a successione interfecti amovendus est, sed etiam is, qui ut homicidii consummati vel tentati auctor intellectualis condemnatus est. Nam in regula pro auctore physico habendus est, sive, ut cum Romanis loquamur, mandator caedis pro ipso homicida habetur. Ut indignus item a successione amovendus videtur is, qui hujus criminis consors exstitit; atque ob id

---

1) Cf. *Code Pénal* art. 2.

condemnatus est. Eandem enim in consortem poenam statuunt leges poenales quam in ipsum auctorem. [1])

Durius saevierant leges Romanae, indignitatem omni homicidae irrogantes, seu non ultro, seu in legitima quidem sui defensione factum perpetrasset; manifestum est, talem dispositionem injustissimam esse, cum sceleris insontem aeque ac reum, homicidium involuntarium aeque ac praemeditatum puniret. [2])

Sapientius igitur articulus noster hunc tantummodo indignum declarat, qui ob mortem defuncto illatam, vel etiam ob homicidii conatum, judicio condemnatus est. Ad indignitatem igitur declarandam, absolute requiritur, ut *condemnatio* intervenerit propter homicidium; dicitur enim in articulo 727: «*qui*

---

1) Cfr. Duranton *Cours de droit Français*. T. VI. pag. 113 No. 89.

2) Pothier *Traité des successions*. chap. 1. § 2.

serait condamné.» Et merito ita statuisse videntur legumlatores. Quamdiu enim condemnatio non intervenerit, de crimine non constat, factum, quod heredi imputatur, probatum non est, ideoque indignitati causam praebere nequit, cum in jure idem est *non esse* et *esse et non apparere*. Sola condemnatio demonstrat factum heredi imputatum crimen esse, in quod a lege poena statuta est. Inde sequitur indignitati locum esse non posse, si lex factum heredi imputatum tamquam crimen non considerat; nulla enim hoc in casu condemnatio; et absque condemnatione nulla indignitas.

Non igitur sufficit ad indignitatem in foro civili declarandam, ut quis aliter quam in judicio criminali ad sententiam condemnatoriam usque perducto homicidii consumati vel tentati reus probetur; nam condemnatio eo usque non intervenit et ideo applicationi art. 727

No. 1. locus esse non potest. Ceterum quisque debet innocens reputari quamdiu contrarium non probatum est; legaliter autem probari contrarium non potest quam in judicio. Itaque quandoquidem auditis testibus in processus Criminalis decursu accusatum criminis sibi imputati reum esse constaret, imo adeo, si crimen confessus esset, et pendente lite accusati mors vel quisquam alius eventus condemnationem impediret, indignitati locus esse non posset.

Ex iis, quae diximus, condemnationem scilicet requiri, ut quis tamquam indignum a successione removeri possit, sequitur, non indignum esse eum, qui, licet defuncto mortem intulerit vel inferre conatus sit, momento tamen perpetratae actionis, in statu dementiae fuerit. Cum enim dementia omnem criminis et delicti notionem tollat atque ideo in hoc casu nec crimen nec delictum adesse censea-

tur, per se patet, nullum condemnationi locum esse posse. Idem dicendum est de eo, qui vi majori, cui resistere non potuit, coactus, mortem intulit defuncto. [1]

Nec igitur indignitas pronuncianda est, si homicidium vel lege, vel legitima auctoritate praeceptum est, [2] vel si commissum est ab eo, qui suae ipsius vel aliorum defensionis legitimae praesenti necessitate pressus fuerit. [3]

Etenim in omnibus hicce casibus nec crimen nec delictum haberi expresse statuit Codex Poenarum; nulla igitur condemnatio intervenire nec indignitas locum habere potest.

Idem dicendum erit si heres minor sedecim annis, sponte quidem defuncto mortem intulit, absque tamen discernendi facultate

---

1) Cf. *Cod. Pén.* art. 64.

2) Cf. *Cod. Pén.* art. 327.

3) Cf. *Cod. Pén.* art. 328 et 329.

homicidium perpetrasse sententia declaratus est. Ex art. 66 Cod. Poen. enim omni poenâ liberandus est; itaque indignus fieri nequit. Pro circumstantiis quidem propinquis tradendus, vel in domo correctionali detinendus est, sed hoc non in poenam, sed in castigationem vel in medium securitatis publicae a lege statutum est.

Quid vero dicendum, si heres defuncto quidem mortem, attamen involuntarie intulit, atque ob id factum condemnatus est ad carcerem correctionalem et ad mulctam ex art. 319 Cod. Poen. Num is interfecti successione indignus dicendus est?

Omnes fere interpretes hanc quaestionem negative solvendam statuunt; et recte ut videtur. 1) Homicidium enim non voluntarium

1) Cf. Toullier, *Droit civil Français.* T. IV. pag. 114. Duran-

proprie crimen esse non videtur; deësse intelligitur illi, qui propter imprudentiam, negligentiam, solertiae inopiam vel propter legis politiae transgressionem hominem occiderit, voluntas, quae nisi adsit, nec crimen adesse censetur. Sic in Codice Poenarum nonnisi de voluntariis et praecogitatis homicidiis criminaliter decretum est.

Ex *verbis* vero art. 319 Cod. Poen. puniendus est ille, qui per negligentiam vel imprudentiam involuntarie homicidium commisit, vel homicidii causa exstitit. Exinde quis facile efficere posset, eum quoque art. 727 Cod. Civ. dispositione comprehendi debere. *Condemnatus* enim est ad duplicem carceris et mulctae poenam ob id, quod, licet involuntarie, mortem tamen defuncto dederit; et

ton, l. l. pag. 115. No. 94. Chabot de l'Allier, *Commentaire sur les successions*. T. 1. pag. 107. No. 4.

articuli 727 Cod. Civ. prima paragraphus condemnationis vel poenae speciem non indicat ad indignitatem necessariam, sed generalibus verbis dicit, eum successione esse indignum, qui condemnatus sit ob mortem defuncto illatam. Itaque ille quoque indignus declarandus est qui ex art. 319 C. P. est punitus.

Ad hanc tamen argumentationem habemus, quae respondeamus. Auctori homicidii non voluntarii ex art. 319 C. P. poena non irrogatur tamquam homicidae; poenâ tantum ex hoc articulo afficitur factum imprudentiae vel negligentiae, quod morti causam praebuit, quodque certe inultum et impunitum remanere non debuit; ast, legislatoris ea non fuit mens, ut levis imprudentia, qua immunis non est etiam probissimus vir, maxima poena, exheredatione, mulctaretur. «*La loi*» ait Duranton [1])

---

1) L. l. No. 94

« n'a pu vouloir punir un malheur comme un crime. » Eum tantummodo indignum declarare voluisse legislatorem manifestum est, qui reus est homicidii, i. e., qui voluntatem habuit defuncto mortem inferendi. Eum vero, qui involuntarie defunctum occidit, non ut homicidii reum lex considerat. Indignitas ergo non factum tantum requirit, sed etiam concomitatam voluntatem.

Hìc vero oritur quaestio majoris momenti. Homicidium, licet voluntarie et cum discernendi facultate commissum, excusari tamen debet, si quis vulneribus vel violentiis gravibus petitus provocantem occidit; [1]) vel dum adscensum per scalas in domum seu in muros domus accessorios aut aedium effracturam de die repellens homini mortem intulit; [2]) vel

1) Cf. art. 321 *Cod. Pén.*

2) Cf. art. 322 *Cod. Pén.*

dum maritus uxorem in ipso adulterii facto deprehensam, ipsam vel ejus consortem interfecit.[1]) Quaeritur, cum in iis casibus poena a criminali ad correctionalem propter excusationis causam ex art. 316 Cod. Poen. reducta sit, an condemnatus, si sit heres occisi, indignitatem subire debeat? Ad hanc quaestionem, quae difficultate non caret, vario modo interpretes respondent. Qui in iis casibus indignitati locum esse putant, ejusmodi utuntur argumentis.

In casibus, de quibus agitur, lex non dicit non adesse crimen, homicidii auctorem esse absolvendum, sed tantummodo poenam esse mitigandam ob facti circumstantias et incitamenta, quae sceleris imminuunt atrocitatem. Multum praeterea homicidium non voluntarie commissum, et homicidium quod excusationi

1) Cf. art. 324 *Cod. Pén.*

locum praebet, inter se differunt. Ut nempe homicidium possit considerari tamquam non voluntarium, omnis criminis committendi voluntas deficiat necesse est; in casibus contra, de quibus agitur in art. 321, 322, 324. Cod. Poen. praesumitur auctor homicidii habuisse voluntatem mortis inferendae, seu potius demonstratum non est ei hanc voluntatem defuisse; quod si demonstratum esset, homicidium non tantum excusandum erit, sed potius annumerandum iis de quibus statuit articulus 319 C. P. sive iis quorum mentionem facit art. 327 seqq. C. P.

In casibus enim art 319, 327 seqq. omnis criminis notio tollitur, cum contra in casibus art. 321, 322, 324 criminis notio remaneat, verum ob facti circumstantias mitigandae poenae locus sit. Nonne igitur ut defuncto succedendi facultas heredi adimatur, sufficit homicidii auctorem habuisse voluntatem id

committendi? Haec quidem voluntas nec plena nec absoluta fuit; quia ita violenter commotus factis gravioribus vel injuria tali provocatus fuit homicida, ut judicii et inde agendi libertas fere evanuerit; verum hasce ipsas ob causas lex, humanae debilitati indulgens, poenam mitigandam statuit, eam vero non prorsus sustulit; et licet poena mitigetur, nihilominus verum est homicidii auctorem revera condemnatum fuisse propter mortem defuncto illatam. Articulus 727 Cod. Civ. igitur in casu art. 321, 322, 324 C. P. vim exercere debet: «*Un crime en horreur à la nature*» sunt verba celeberrimi Jurisconsulti Merlin, «*ne peut devenir une voie légitime d'acquérir; si la justice n'est pas toujours armée pour le punir, on ne peut exiger qu'elle récompense et couronne une telle cruauté.*» [1])

---

1) Cf. *Répertoire* voce *Indignité*, § 2.

Verior nobis videtur sententia existimantium in hisce casibus indignitati locum non esse.

Etenim in paragrapho prima art. 727 Cod. Civ. legislatori non alia mens fuisse videtur, quam ut indignitatis poenam subiret ille, qui homicidii reus, tamquam talis fuerit condemnatus. Qui vero provocatus vel causis legitimis coactus defunctum occiderit, quemque idcirco lex ipsa excusat, homicidii proprie ita dicti reus revera considerari nequit. Lex quidem, ut publicae securitati consuleretur, poenam illi infligi voluit; haec tamen poena, quae in detentione unius anni usque ad quinque annos consistit, tam levis est, ut tamquam poena in homicidium statuta considerari vix possit. Heres igitur condemnatus non est propterea, quod sine ulla causa legitima defuncto mortem intulerit; tum enim poenâ in homicidium ordinarium statutâ puniendus esset. Ceterum cum poenae *corporali* detentio,

quae poena tantum *correctionalis* est, substituatur, legislator praesumi non potest voluisse, ut indignitatis poena subsisteret. Denique injustissimum certe foret auctorem homicidii *ob legitimas causas a lege excusatum*, quoad indignitatem eâdem poenâ plectere, ac illum, qui voluntarie sine ulla provocatione, imo etiam, qui praecogitate homicidium commiserit.

Haec igitur sententia sola admittenda videtur, quia sola justa est et legislatoris menti convenit. Dici enim non potest legis contextus huic sententiae obstare. Nam per se patet homicidam, qui in casibus, in quibus lex excusationem admittit, ad poenam correctionalem condemnatus est, hancce condemnationem non subiisse tamquam homicidii reum. « *Il est plus malheureux que coupable*, » ait Chabot: « *il n'a pas eu la volonté libre, et entière de tuer, puisqu'il n'a été poussé, entrainé*

et peut-être même forcé au fait de l'homicide, que par un crime qu'a commis ou que voulait commettre sur lui la personne qui a succombé. » 1)

Ex eo porro quod condemnatio requiratur, ut quis indignus declarari possit, sequitur damnatum necati successione indignum manere, etiamsi gratiam vel poenae mutationem a rege impetrasset.

Gratia enim nihil praeter liberationem a poena tribuit; nec notionem criminis nec culpabilitatem, quarum ratione indignitas statuta est, tollit. Licet igitur impetrata sit gratia, remanet tamen ratio propter quam indignitas a lege statuitur. Nec obstat legis textus; nam interveniens gratia condemnationem non tollit, manetque verum, heredem

---

1) Cf. Chabot, l. l. p. 110 seqq. No. 7. Duranton, l. l. No. 95.

propter defuncti caedem damnatum fuisse. Licet igitur poena vel in integrum vel partim tantum aboleatur, criminis labes tamen superest indelebilis, ejusque effectus indignitas. Nec differt, an gratia ante vel post actionem de declaranda indignitate ad judices delatam impetrata fuerit; nam gratia, quoad indignitatem, nullos producit effectus. Nec poenae praescriptione cessat indignitas. Nam ut poenae praescriptioni locus esse possit, condemnatio requiratur necesse est; praescriptio scilicet tantum currit a tempore lati judicii. [1] Extinguit quidem praescriptio poenam, non vero ipsum judicium; neque restituuntur damnato bona juraque, quae condemnatio ipsi abstulerat. Dicit enim art. 32 Cod. Civ. «*En aucun cas, la préscription de la peine ne réintégrera le condamné dans ses droits civils*

1) Cf. art. 635 *Code d'Instr. Crim.*

pour l'avenir; » a fortiori igitur nec in praeteritum jura civilia reviviscent.

Si vero non poenam sed actionem publicam extinxit praescriptio, reus nec in judicium vocari, nec condemnari potest, et ita indignitati locus esse nequit. [1])

Si condemnatio per contumaciam locum habuerit, et damnatus in judicio apparuerit vel deprehensus fuerit intra quinque annos post sententiae executionem in effigie, manifestum est, sententiam condemnatoriam, quum ipso jure evanuerit, [2]) non amplius fundamento esse posse actioni de declaranda indignitate. Quodsi vero damnatus non nisi post quinque annos apparuerit, vel fuerit deprehensus, judicium omnes effectus in praeteritum conservat; [3])

---

1) Cf. art. 637 *Cod. d'Instr. Crim.* et Toullier. l. l. No. 108

2) Cf. art. 29 *Cod. Civ.*

3) Cf. art. 30 *Cod. Civ.*

ita ut, licet priori judicio condemnatus, altero judicio fuerit absolutus, indignitas tamen remaneret. Si ille qui per contumaciam damnatus est, intra quinque annos e vita cesserit, judicium ipso jure extinguitur, et dicitur damnatus mortem obiisse *dans l'intégrité de ses droits.* 1) Sequitur inde indignitati locum esse non posse. Ipsa enim sententia condemnatoria extincta, non adest casus de quo agit lex, indignitatis poenam statuens tantum in heredem, qui propter mortem defuncto illatam condemnatus fuerit. Hoc in casu igitur idem obtinet, ac si heres ante condemnationem mortuus esset, de quo casu supra vidimus. In neutro casu condemnatio locum habuit, itaque nec indignitas obtinere potest. 2)

Denique hoc loco a viro clarissimo Chabot

1) Cf. art. 31 *Cod. Civ.*

2) Cf. Duranton l. l. No. 99 et 100.

quaeritur, an jure indignitatis quaestio moveri possit, si quis lethaliter vulneratus ab herede, ante mortem declaraverit se illi ignoscere, imo actu formis munito caeteris haeredibus interdixerit, ne indignitatem persequerentur? Indignitatis quaestionem moveri posse affirmat vir clarissimus. Nimirum lex ipsa, honestati publicae consulens, certis in casibus, indignitatem pronuntiat; non potest a defuncti voluntate pendere, ut a legis dispositione declinetur. Neque legitimi heredes tali tenerentur interdictione; actionem nempe adversus indignum a lege habent, non autem a defuncto, cujus voluntas voluntati legis cedat, necesse est. Nec magis obligabuntur heredes testamentarii, si haec interdictio, ut institutionis conditio scripta fuerit. Foret enim talis conditio legis voluntati contraria, atque ideo quasi non scripta consideranda, argumento art. 900 Cod. Civ. Contrariam sententiam

Merlin [1]) defendit, argumento legis 2. D. de St. Cons. Silaniano: « Nec pietas nec sollicitudo heredis obtinere debet, ut ad poenam vocentur, quos absolvit dominus ipse. »

§ 2.

DE HEREDE, QUI ACCUSATIONEM CAPITALEM CONTRA DEFUNCTUM INTENDIT CALUMNIOSAM JUDICATAM.

Secunda causa, ob quam quis ut indignus a successione removetur, adest, si accusationem capitalem contra defunctum intendit, calumniosam judicatam. « *Celui qui a porté contre le défunt une accusation capitale jugée calomnieuse*, » dicit art. 727 secunda paragraphus.

Ut igitur in hoc casu indignitatem pronuntiare possint judices, requiritur 1°., ut accusatio locum habuerit, 2°., ut accusatio fuerit

1) Vid. *Répertoire* voce *Indignité* § 4.

capitalis, 3°., ut accusatio calumniosa fuerit judicata.

Per *accusationem* hoc loco videtur intelligenda denuntiatio facta iis, qui Ministerio Publico funguntur eum in finem, ut actionem adversus denuntiatum intendant et exorsam prosequantur. Ut igitur valida adsit accusatio, non necesse est, ut apud judicem actio intendatur; actio enim proprie sic dicta ad officium eius, qui Ministerio Publico fungitur, pertinet, sufficit ergo mera querela vel denunciatio. 1) Neque tamen gravissima in vulgus sparsa factorum talium, quae defunctum in civium odium et infamiam trahere possent, criminatio indignitatem conciret, etiamsi hanc ob causam condemnatus fuerit defunctus. Nam quum lex expresse accusationem requirat, tunc tantum heres indignitatem incurrere potest,

1) Cf. Duranton, l. l. No. 103 et in nota.

si defunctum Ministerii Publicii vice fungentibus denuntiaverit.

Requiritur 2°. ut accusatio fuerit capitalis. Quid vero significare voluerit legislator per verba *accusation capitale*, dubium est.

Putat Chabot [1]) sub hac voce comprehendi debere omnem accusationem de facto, in quod lex poenam infamantem statuit, ad quam suam sententiam firmandam principia magis moralia et politica quam juris in auxilium vocat. Moribus enim et publicae honestati contrarium fore dicit, ut is, qui defunctum poenae infamanti immeritae submittere conatus est, ad eius successionem venire posset. Licet hoc confiteatur Duranton, [2]) recte tamen ille animadvertit hic agi de quaestione, num *legislator* sub voce *Capital* intelligere

1) Quem vide l. l. pag. 118. No. 13.
2) l. l. No. 106.

voluerit omnem accusationem de facto, in quod poena infamans statuta est. Non enim de jure constituendo, sed de jure constituto agitur.

Quodsi veram legislatoris verbis *accusation capitale* utentis, mentem exploramus, magis est, ut dicamus eum intellexisse denuntiationem facti, quodsi probatum esset, poenae mortis naturalis vel civilis locum daret. Nimirum si vocem Gallicam *capital* a voce Romana *capitalis* descendere attendimus, hanc vocem vix alio sensu usurpasse Francici legumlatores censendi sunt, ac eo, quo in Jure Romano illa occurrit. Varie quidem in Jure Romano hanc vocem usurpatam invenimus tum sensu strictiori, tum sensu latiori, imo latissimo. Sensu tamen usitatissimo poena capitalis significat poenam, quae consistit in morte vel in amissione civitatis. Sic ex. gr. in l. 2. D. *de Poenis* dicitur: « Rei capitalis sic accipere debemus, ex qua

causa damnato vel mors vel etiam civitatis amissio vel servitus contingit;» et in l. 28 pr. et § 1. eod. «Capitalium poenarum fere isti gradus sunt. Summum supplicium esse videtur ad furcam damnatio; item vivi crematio; item capitis amputatio. Deinde proxima morti poena metalli coercitio. Post deinde in insulam deportatio. Ceterae poena ad existimationem non ad capitis periculum pertinent, veluti relegatio ad tempus vel in perpetuum vel in insulam, vel cum in opus quis publicum datur, vel cum fustium ictu subjicitur.» Sic quoque in l. 2. D. *de Publicis Judiciis*. Paulus ait: «Publicorum Judicorum quaedam capitalia sunt, quaedam non capitalia. *Capitalia* sunt, ex quibus poena mors aut exilium est, id est, aquae et ignis interdictio; per has enim poenas eximitur caput de civitate; nam caetera non exilia sed relegationes proprie dicuntur; tunc enim civitas retinetur. *Non*

capitalia sunt, ex quibus pecuniaria aut in corpus aliqua coercitio poena est.»

Cum igitur poenae, quae Jure Romano *capitales* dicebantur, eaedem sunt ac eae Jure Francico constitutae poenae, quas mors civilis sequitur, dicendus videtur legislator francicus voci *accusation capitale* non aliam vim tribuere voluisse, quam ut indignitatis poenam subiret heres, qui false accusavit defunctum facti, in quod poena mortis vel perpetuarum operarum vel exilii [1]) statuta est. Confirmat hanc sententiam articulus 371 Cod. Poen., in quo eandem poenam scriptam invenimus in eum, qui calumniose aliquem accusaverit facti, in quod poena mortis sancita est, ac in eum qui aliquem accusaverit facti, quod poena operarum perpetuarum vel exilii puniendum fo-

1) Has enim poenas mors civilis sequitur. Cf. art. 18 *Cod. Pén.*

ret. Cum enim lex, quod ad sanctionem poenalem, nullam differentiam faciat an calumniator accusaverit facti in quod mortis poena, an facti in quod poena mortem civilem secum trahens scripta est, non probabile est, legem quod ad indignitatem attinet, tale discrimen admittere voluisse.

Voce igitur *capital* non solum mors naturalis sed etiam mors civilis intelligitur. Neque tamen ulterius protrahenda est hujus verbi significatio, quasi eo comprehenderentur omnes poenae afflictivae et infamantes, vel etiam simplices infamantes, prouti censuit Chabot. Huic enim sententiae ipso locutio *accusation capitale* obstat. [1])

Ut porro indignitati locus sit, non sufficit accusationem capitalem ab herede contra defunctum latam fuisse; lex insuper illam calu-

1) Cf. Duranton, l. l. No. 106 et Toullier, l. l. No. 109.

mniosam fuisse requirit. Qui enim verum sceleris auctorem persequendum indicat, atque ita moribus et publicae securitati proficit, a lege poena plecti non potest; si crimen, de quo defunctus arguitur, verum est, nec in mores, nec in ordinem publicum delator peccavit, quorum quam maxime interest, ne crimina occulta inultaque remaneant.

Nec denique sufficit ut accusatio calumniosa sit; requiritur, ut illa calumniosa *a judice declarata sit*. Accusatio scilicet calumniosa est delictum, quod poenis correctionalibus locum dat, ex art. 371 et 374 Cod. Poen. De nullo autem delicto constare potest, nisi res ad judices sit perlata; nullaque poena potest irrogari, nisi accusatus delicti reus a judice sit declaratus; inde lex implicite requirere videtur, ut heres propter calumniam condemnationem subierit.

Ex eo, quod judicis sententia requiratur,

qua accusatio calumniosa dicta sit, sequitur, defunctum heredi indignitatis poenae veniam dare posse, si tribus inde ab accusatione annis elapsis, non curaverit defunctus, ut calumniosa declararetur accusatio. Post tres enim hosce annos actio extincta est vi art. 638 Cod. Quaest. Crim. Quid tali veniae impedimentum obstaret? Quare accusatus facultatem non haberet injuriae sibi illatae ignoscere? An cogi posset, ut indignitatis poenam persequeretur? Nec eius heredes, si tempus, per quod actio institui posset elapsum est, amplius instituere possunt actionem, quam instituendi ipse vivus jus non haberet. Lex ipsa calumniam judicatam vult; atque inde sequitur, indignitati pronunciandae locum amplius non esse, ubi propter elapsum utile tempus, actio deneganda est.

Quodsi judicium intervenerit, quo calumniosa declarata est accusatio, in potestate

accusati non amplius est, poenam indignitatis remittere, qua calumniatorem lex plectit. [1]) Hanc ob causam non admittenda videtur Toullierii sententia, qui N°. 108 dicit, quartam conditionem, ut in hoc casu pronuntiari possit indignitatis poena, esse, ne defunctus heredi factum, quod indignitati locum aperiret, ignosceret.

§ 3.

DE HEREDE MAJORENNI, QUI DEFUNCTI CAEDEM SIBI NOTAM JUDICI NON DENUNTIAVIT.

Tertia indignitatis causa adesse Jure Francico censetur, si heres majorennis defuncti caedem sibi notam habuerit, non vero judici denuntiaverit. Ad hanc legis dispositionem commendandam dicere solent interpretes, eum,

1) Videantur quae de hac quaestione in fine § 1. diximus.

qui defuncti caedem non denuntiaverit, non exhibere gratitudinem defuncto, cujus bona appetit, debitam, atque ita sanctissimum contemnere officium; quocirca poenam legibus irrogatam eum mereri affirmant.

Antiquiori tempore heres, cui defuncti caedes cognita erat, proprio nomine defuncti vindictam movere et usque ad latam sententiam persequi debebat, ut indignitatis poenam evitaret. Codice vero civili non aliud requiritur nisi sceleris denuntiatio. Non vero homicidae detegendi necessitas heredi imposita est; criminis perpetrati auctores investigare, judicum est.

Haec indignitas non nisi in majores aetate cadit; heredes igitur aetate minores momento delatae successionis ad denuntiandam defuncti caedem non adstringuntur: heres enim minorennis agere non potest, neque satis rerum peritus censetur, ut officia sua obligationesque heredi impositas, plene cognita sibi ha-

beat. Quodsi vero heres, qui tempore delatae successionis minor erat, ad majorennitatem pervenisset antequam judex caedem defuncti cognitam sibi haberet, teneretur adhuc ad caedis denuntiationem, si nempe de crimine adhuc constare possit. Qua denuntiatione neglectâ indignitatis poenam subiret. Hanc sententiam egregie defendit Duranton.[1])

Heres caedem denuntiare non tenetur, nisi eam sibi cognitam habeat; eam sibi cognitam habere censetur heres, si vi aperta trucidatus sit defunctus. Si vero clandestine locum habuerit crimen, v. c. per venenum, vel si absens fuerit heres, fieri potest, ut caedem ignoret; quo in casu denuntiationis defectum ei obesse non posse per se patet. Attamen cum caedem etiam occulto perpetratam heres quandoque noverit, nullum dubium est, quin eam de-

---

1) l. l. No. 11 Cf. etiam Chabot. l. l. No. 17.

nuntiare deberet; ceteroquin enim in indignitatis poenam incideret. [1])

Quum vero revera variae adesse possunt causae, quae heredem impedirent, quominus officio lege ipsi imposito fungeretur, recte art. 727 noster nullum tempus definivit, intra quod denuntiatio locum habere deberet. Inde tamen efficere non debemus, hanc denuntiationem faciendam esse statim post delatam successionem, nec e contrario heredem semper ad denuntiationem faciendam admitti. Durum enim foret, si ex. gr. remotiori gradu heres, quem cupiditatis stimulus urget, criminis delationem ante occupaverit, ideirco proximum heredem, paululum cunctatum, a successione removere. Nec si v. c. fama caedis statim post crimen perpetratum ad judicem perlata, hic statim crimen est persecutus ante quam heres

---

1) Cf. Merlin *Répertoire* voce *Indignité*. § 4.

denuntiationem fecerit, defectum denuntiationis heredi objici posse per se patet.

Tunc tantum indignitatis poenam ex legis mente meretur, si revera in mora sit, si nullam curam sed summam in exsequenda denuntiationis obligatione negligentiam adhibuerit. Summum ejus officium est defuncti caedis denuntiandae, si eo non fungitur, heredis qualitatem amittit; si magis ei cordi fuit, suis ipsius commodis prospicere quam defuncti mortem ulcisci, negligentiae suae poenam subire debet.

Prudenter igitur aget heres, si rebus hereditariis sese non immisceat ante quam denuntiationi curam adhibuerit. Ceterum judicibus relicta est dijudicatio, an adeo gravis atque manifeste fuerit heredis negligentia, ut merito indignitatis poena pronuntiari possit. [1])

1) Cf. Toullier, l. l. No. 110. Chabot. l. l. No. 19. Duranton, l. l. No. 113.

Quodsi revera in mora est, poena indignitatis contra eum pronunciari potest, neque, actione ad indignitatem declarandam semel intenta, heres amplius admittendus est ad denuntiationem faciendam, ut ita actionem removeret, et se poenae substraheret, in primis, si jam in possessione successionis se constituisset. 1)

Fieri tamen potest, ut denuntiationis defectus non a male erga defunctum affecta voluntate oriatur; heres in tristi necessitate vel mortem illius, ad cujus successionem vocatur, inultam relinquendi, vel propinquos suos, si ultionem prosequatur, ad supplicium trahendi constitutum sese videre potest. Crudelem sane se exhiberet lex, quae in hoc casu omnem affectionis, quam hominibus erga cognatos indidit natura, sensum ab herede deponi juberet. Hoc

---

1) Chabot, l. l.

agnoscit codex, et expresse disponit art. 728: «*Le défaut de dénonciation ne peut être opposé aux ascendans et descendans du meurtrier, ni à ses alliés au même dégré, ni à son époux, ni à son épouse, ni à ses frères et soeurs, ni à ses oncles et tantes, ni à ses neveux et nièces.*» Quid hac dispositione sibi voluerit legislator, dubium non est. Moribus enim adversaretur, illos, qui vinculo sanguinis homicidae conjunctissimi sunt, scelus poena plectendum capitali judicibus indicare; et durior certe illa fuisset optio, vel naturam immolandi, vel fortunam.[1] Attamen casus exstare potest, quo id ipsum, quod heres naturae, cognatum *homicidam* denuntiare vetanti, et legis menti, vel ipsius *homicidii* denunciandi necessitatem remittenti, satisfacere cupiat, heredem, in quem actio ad indignitatem pro-

1) Toullier, l. l. No. 111. Chabot, ad art. 728 No. 1.

nuntiandam intenditur, impediat, quominus hanc legis dispositionem in suum favorem invocet. Aderit hic casus, si cognatus quidam, gradu quidem remotior, in eo tamen gradu constitutus, cui succedendi facultatem tribuit lex, fortasse notum sibi habens, heredem scire, quisnam sit homicida, contra heredem agit, ut indignus declaretur, quod defuncti caedem non denuntiaverit, eum in finem, ut successionem ei auferret. Eo in casu heres non alio modo actionem repellere potest, quam per exceptionem art. 728 constitutam. Verum ut hanc exceptionem cum fructu adhibere possit, jam tenetur probare illam ipsi esse applicandam, legem ipsi denuntiandi necessitatem remisisse, vel ut aliis utar verbis, probare tenetur, cognatum suum homicidii defuncti auctorem esse. Sic igitur ille, qui ne ipsum *homicidium* quidem denuntiare necesse habebat, crudelem optionem facere debebit, utrum a

successione se tanquam indignum excludi, au declarare malit, quinam sit homicida, atque ita cognatum suum invitus ad supplicium trahere. Causa ergo est cur dicamus, heredem principiis moralitatis impediri posse, quominus justam legis dispositionem in suum favorem adhibeat. Quodsi vero affectibus animi obediens, generose nomen homicidae siluerit, et judicium, quo indignus declaratus est, in auctoritatem rei judicatae abierit, nulla ei superesse videtur via, qua hanc judicis sententiam impugnare posset, si postea palam forte fit, quinam fuerit homicida; atque ita heres nullam amplius idoneam habet causam, cur homicidae nomen sileret, et art. 728 dispositionem non invocaret. Quae sola ipsi superest via, sunt libelli supplices (*requête civile*), si scilicet cognatus, qui heredem indignum declarari curavit, ipse nomen homicidae cognitum habuit, atque ita quasi insidiatus est

sensui honoris et humanitatis, qui heredem ad silentium observandum movere debuit; nullum dubium est, quin judices tale factum tanquam dolum personale considerarent, qui ei, quod *requête civile* dicitur, locum daret. 1)

Ex verbis, quibus articulus 728 utitur, quaestio oriri solet, quae paucis tractanda nobis est. Quaeritur nempe, num voces: *ni à ses alliés au même dégré* ad adscendentes et descendentes tantum spectent, an vero etiam ad fratres sororesque aliosque, de quibus in fine articuli mentio fit, referendae sint; sive an ii, qui affinitatis vinculo facti sunt homicidae fratres vel sorores, patrui vel amitae, avunculi vel materterae, gener vel nurus fratris aut sororis, dispositione art. 728 contineantur ita, ut iis denuntiationis defectus opponi non pos-

1) Cf. art. 480. No. 1. *Cod. de Proc. Civ.* vid. Duranton, l. l. No. 110.

sit? Qui solos homicidae affines in linea adscendentium et descendentium hac immunitate frui contendunt, argumentantur praecipue ex legibus Romanis et ex ipsa verborum *ni à ses alliés au même dégré*, positione. Leges enim Romanas ab denuntiandae defuncti caedis obligatione, aiunt, immunes tantum fecisse patrem matremque, liberos, maritum uxoremve auctoris homicidii; Codicis Civilis vero conditores, hanc dispositionem extendentes ad fratres sororesque, patruos amitasque, avunculos materterasque et ad fratris sororisque liberos, illam immunitatem tamen sine ullo dubio extendere noluisse ad affines in iisdem gradibus. Animadvertunt praeterea verba illa immediate sequi verba *adscendans ou descendans du meurtrier;* quodsi vero verba illa quoque applicanda censuerit legislator ad affines in iisdem gradibus constitutos, in quibus sunt ceteri parentes in fine articuli denominati,

nullum dubium esse dicunt, quin legislator verba in fine articuli posuisset; locum igitur, quem nunc occupant verba illa, satis indicare legislatorem dispositionem resringere voluisse ad affines in lineis ascendentium et descendentium. Ad haec respondent ii, qui contrariam defendunt sententiam, [1]) legislatorem, postquam in art. 728 dixerit, denuntiationis defectum objici non posse adscendentibus homicidae ejusque descendentibus, dicere debuisse: *ni aux alliés dans les mêmes lignes*, si nempe illam dispositionem tantum ad affines homicidae in lineis adscendentium et descendentium applicari voluerit; nunc vero, cum dicatur: *ni aux alliés au même degré*, licet de nullo gradu hucusque sermo fuisset, sed contra designati essent, sine distinctione gradus,

---

1) Vid. Chabot, ad art. 728. No. 2. Duranton. l. l. No. 110 in notis. Delvincourt. l. l.

omnes adscendentes et descendentes, legislatorem praesumendum esse sua dispositione etiam affines homicidae in gradibus, qui deinde enumerantur, comprehendere voluisse. Hanc autem sententiam ipsa articuli 728 confectionis historia confirmat.

Articulus scilicet, prouti ille in Concilio Status fuerat confectus, sic sese habebat: *Le défaut de dénonciation ne peut être opposé aux ascendans et descendans du meurtrier, ni à ses alliés* en ligne directe, *ni à son époux ou à son épouse, ni à ses frères ou soeurs, ni à ses oncles et tantes, ni à ses neveux et nièces.*»

Hac articuli compositione cum sectione legislatoria apud Tribunatum (*la section de législation du Tribunat*) communicata, ab hac sectione sequentia animadvertebantur:

«*La section pense que, dans cet article il convient de supprimer ces mots* ni à ses

alliés en ligne directe, *et de placer ceux ci* à la fin de la disposition, « ni a ses alliés aux mêmes degrés. »

« *On ne voit pas en effet, pourquoi le défaut de dénonciation qui, suivant l'article, ne peut être opposé aux alliés du meurtrier en ligne directe, pas plus qu'à ses ascendans et descendans, pourrait l'être à ses alliés en ligne collatérale, dans les degrés dé frère ou socur, oncle ou tante, neveu ou nièce, lorsque d'après la même disposition on ne peut opposer à ceux-ci le défaut de dénonciation. Dans toutes les lois, soit relatives au mariage, soit relatives aux témoins en matière civile ou criminelle, les alliés sont toujours placés sur la même ligne que les parents pour être admis ou exclus comme eux ; il suffit qu'ils soient au même degré. L'alliance les identifie avec la famille.* »

Quum igitur verbis *ni à ses alliés en ligne*

directe substitua sint verba, a sectione proposita, *ni à ses alliés aux mêmes degrés*, dicendum videtur, sententiam a sectione legislatoria apud Tribunatum enunciatam, adoptatam fuisse. Attamen error quidam causa fuisse videtur, cur verba illa non in fine articuli, ut proposuerat sectio, sed eodem loco collocata sint, quo posita erant verba, quae supprimere voluit legislator. Error hicce evidens est, neque de vera legislatoris mente dubitare possumus. Quocirca statuendum videtur, dispositionem articuli etiam extendendam esse ad homicidae affines in gradibus, in fine articuli enumeratis; atque articulum 728 ita intelligendum esse, quasi in eo legeretur: « *Le défaut de dénonciation ne peut être opposé aux ascendans et descendans du meurtrier, ni à ses alliés en ligne directe, ni à son époux ou à son épouse, ni à ses frères ou soeurs, ni à ses oncles et tantes, ni à ses*

neveux et nièces, ni à ses alliés aux mêmes dégrés.» 1)

Hac igitur indignitatis causae jure Francico valent; strictae eae sunt interpretationis, nec ullam admittunt extensionem. Audiamus quae ea de re dixit consultissimus Treilhard cum legem de *successione* commendaret. 2)

«Nous n'avons pas jugé convenable d'étendre d'avantage les causes d'indignité; il ne faut pas sous le prétexte spécieux de remplir la volonté présumée d'un défunt, autoriser des inquisitions, qui pourraient être également injustes et odieuses. C'est par ce motif que nous n'avons pas cru devoir admettre quelques causes reçues cependant dans le droit Romain, comme par exemple,

1) Cf. omnino Chabot, l. l.

2) *Exposé des motifs de la loi relative aux successions par le conseiller d'État* Treilhard. No. 52.

celles qui seraient fondées sur des habitudes criminelles entre le défunt et l'héritier, ou sur la disposition qu'on prétendrait avoir été faite par l'héritier d'un bien du défunt avant son décès, ou sur l'allégation que l'héritier aurait empêché le défunt de faire son testament ou de le changer.

Ces causes ne présentent pas, comme celles que nous avons admises, des points fixes sur lesquels l'indignité serait déclarée; elles portent sur des faits équivoques, susceptibles d'interprétation, dont la preuve est bien difficile; l'admission en serait par conséquent arbitraire.

Sans doute l'ennemi du défunt ne doit pas être son héritier, mais les causes d'indignité doivent être tellement précises qu'on ne puisse se méprendre dans leur application: autrement pour venger un défunt, on jetterait dans toute sa famille des

semences inépuisables de haine et de discorde.»

Animadvertendum denique est, hasce indignitatis causas tantum valere in successione eius, contra quem heres facta, a lege enumerata, admiserit; neque protrahendas illas esse ad alius cujusdam successionem, ita ut per Maevium exclusus a successione Gaii, tamen aliquando successionem posset capere Maevii, pro parte ex bonis Gaii constantem. Nam non eadem amplius erit hereditas; legi satisfactum est, quia exclusus fuit a successione eius, cuius respectu indignus declaratus fuit. «Qui Titii testamentum falsum dixit, nec obtinuit, heredi eius heres existere prohibendus non est, quia non principaliter in Titii hereditatem succedit.» 1)

Jam haec de indignitatis causis jure Fran-

1) L. 7. de his quae ut indignis.

cico sufficiant. Superest ut paucis annotemus, quinam actionem ad indignitatem declarandam intendere possint, atque deinde ut investigemus, quinam indignitatis sint effectus. Antequam vero de hisce disseramus, explorandae nobis erunt indignitatis causae jure nostro hodierno constitutae.

Caput Tertium.

DE INDIGNITATIS CAUSIS SECUNDUM CODICEM CIVILEM NEERLANDICUM.

Indignitatis causae jure nostro constitutae, quatuor sunt numero. Dicitur art. 885:

Als onwaardig *om erfgenamen te zijn, worden beschouwd* en *als zoodanig van de erfenis uitgesloten:*

1°. *Hij, die veroordeeld is, ter zake dat hij den overledene heeft omgebragt of getracht heeft om te brengen;*

2°. *Hij, die bij regterlijke uitspraak over-*

tuigd is, tegen den erflater lasterlijk te hebben ingebragt eene beschuldiging van een misdrijf, waartegen eene onteerende straf is bedreigd;

3°. *Hij, die den overledene door geweld of feitelijkheid belet heeft zijnen uitersten wil te maken of te herroepen;*

4°. *Hij, die den uitersten wil van den overledene heeft verduisterd, vernietigd of vervalscht.*

Indignitatis causas jure nostro constitutas cum iis, quae jure Francico obtinent, comparantibus, continuo nobis occurrit discrimen quod inter utramque legislationem adest. Sibi enim persuasum habentes non tantum quietis et salutis familiarum, verum etiam ipsius consociationis civilis securitatis quam maxime interesse, ne indignitatis causae incertae atque dubiae essent et interpretationi saepe arbitrariae subjectae, legumlatores patrii quidem

simili modo ac Francici legumlatores paucas easque certas quasdam indignitatis causas adoptaverunt, in ipsis tamen causis hisce constituendis a praeceptis juris Francici aliquomodo recesserunt.

Uti vero francici legumlatores, sic quoque patrii in primo indignorum ordine collocarunt eum, qui mortem defuncto intulit, vel inferre conatus est, atque propterea condemnationem subiit. In hac causa constituenda patrius legislator iisdem verbis utitur quae in codice Francico occurrunt; unde sequitur, jure nostro circa hanc rem eadem, quae jure Francico, praecepta valere. Licet quidem verba: *heeft omgebragt of getracht heeft om te brengen*, generalia videantur, atque quaestionem movere possint, num hac dispositione etiam contineatur is, qui in casibus art. 64, 319, 321, 322, 324, 327, 328, 329. C. P. versatur; non dubitamus tamen statuere legislatorem patrium

indignitatis poenâ tantum plectere voluisse eum, qui voluntarie, nulla exstante legitimâ excusationis causâ, defunctum occiderit. Spectatur tantum hac in re criminalis animus; noluit enim legislator heredem, qui defuncto mortem inferendo, malum in eum animum manifestaverit, ad eius successionem venire; ita enim ex crimine suo lucrum caperet. Malum animum habuisse vel crimen proprie admisisse is dici non potest, qui mortem quidem intulit, cui tamen libera voluntas defuit, vel qui legitimam excusationis causam habuit. Quocirca statuendum nobis videtur eadem in hac materia jure nostro valere, quae jure Francico obtinere diximus.

Ceteras porro observationes, quae de hacce indignitatis causa in capitis superioris § 1. protulimus, etiam huc pertinere, per se patet. Quod idem fere dicendum est de hujus articuli § 2., ex qua indignus habetur is, qui

defunctum calumniose accusaverit criminis, in quod poena infamans scripta est. Notandum tamen est discrimen, quod inter hancce paragraphum et § 2. art. 727 Cod. Civ. Fr. obtinet. A jure Francico scilicet aliquomodo recesserunt patrii legumlatores, generalibus verbis indignum eum statuentes, qui calumniose defunctum accusaverit criminis, in quod poena infamiam irrogans statuta est; quum Jus Francicum hanc dispositionem ad accusationem capitalem restringat, id est, ut supra vidimus, ad accusationem calumniosam criminis, in quod poena statuta est, mortem naturalem vel civilem secum trahens. Jam igitur quaestio, quae de vera vocum *accusation capitale* significatione jure Francico movetur, jure nostro moveri non potest. Merito legumlatores patrii hanc dispositionem extendisse videntur; ita enim magis quam Codicis Civilis Francici conditores, moribus honestatique publicae con-

suluerunt, quibus certe oppugnaret, aliquem vi legis admitti ad successionem eius, quem per accusationem calumniosam condemnari voluerit ad poenas infamiam irrogantes. Quaenam autem jure nostro sint poenae infamantes, statutum est in libro 1 tit. 2 art. 2 Codicis Poenarum nuperrime adoptato. 1)

Animadvertendum denique est in primo Codicis specimine anni 1823 hanc paragraphum ita legi: *Degeen die in regten overtuigd is, den erflater lasterlijk van eene misdaad te hebben beschuldigd, waarop de doodstraf of eene andere onteerende straf bedreigd is.* 2)

Quae hujus articuli N°. 3 et 4 enumerantur indignitatis causae, in Codice Civile Francico non occurrunt. Merito tamen legislator pa-

---

1) Vid. *Eerste boek van het Wetboek van Strafregt*, *ontwerp* No. 2.

2) Cf. Voorduin, *Geschiedenis en beginselen der Nederlandsche Wetboeken.* Deel IV. p. 17. No. 1.

trius indignitatis causis accensuit facta, quorum in N°. 3 et 4 mentio fit. Qui enim per vim defunctum prohibet, quominus ultimam suam voluntatem declaret aut factum testamentum revocet, vel qui defuncti testamentum delet aut adulterat, dignus certe non est, qui ad eius successionem veniat. Nam si admittebatur ad successionem ex crimine suo lucrum caperet. [1])

In utroque casu aliquod admisit, quo de vera defuncti voluntate constare non potest. Quae voluntas certe in heredis favorem non fuit: ceteroquin enim defunctum non prohibuisset, quominus testaretur, vel eius testamentum non delevisset. Praesumendus itaque est defunctus alium quemdam ad suam successionem vocasse. Quum autem lex praeci-

---

1) Cf. Asser, *het Nederlandsch Burgerlijk Wetboek, vergeleken met het Wetboek Napoleon.* p. 300. § 440.

p uedefuncti voluntatem tueatur, hanc quoque ob causam a successione excludere debet eum, qui prohibuit, quominus de hac voluntate contaret. De harum dispositionum aequitate amplius disserere necesse non habemus. Verba enim viri consult. Nicolai nostra facimus: «*Il suffit de les lire pour les adopter.*» [1])

Legitur N. 3 *door geweld of feitelijkheid;* his verbis addere *door bedrog* propositum fuit anno 1823; quod tamen admittendum non esse censuit Summus Imperans, (*de Regering*) metuens, ne ita nimis amplus campus pateret litibus eum in finem intentis, ut legitimi heredes ex causa indignitatis, a successione propinquorum excluderentur. «*Men heeft vermeend*» (*zeide de regering*) «*zich tot* geweld en feitelijkheid *te moeten bepalen*, *omdat wanneer men daar* bedrog *bijvoegt*, *zonder* dwang of

---

1) Cf. Voorduin, l. l. No. IV.

feitelijkheid, *er een al te wijd veld zoude geopend worden voor twistgedingen, strekkende om wettige erfgenamen uit hoofde van onwaardigheid, van de nalatenschap hunner nabestaanden uittesluiten.* Bedrog *is niet alleen moeijelijk te bewijzen, maar geeft geen genoegzaam vast denkbeeld.»* 1)

Quae indignitatis causa § 3. art. 727 Cod. Civ. Fr. enumeratur, in Codice nostro omissa est. Hanc enim causam indignitatis adoptare noluit legislator patrius, quia moribus obstare censebat, aliquam cogere commissum crimen judicibus denuntiare, ut ita suis *commodis* prospiceret. Quivis societati adscriptus obligatus est, si crimen commissum sibi notum habet, de ea re judicem certiorem facere; nulla vero exstat causa, cur heres, qui id neglexit, gravius puniretur quam quivis

1) Cf. Voorduin, l. l. No. III.

alius. Praeterea talis dispositio ut supervacua considerari potest, quia eiusmodi crimen raro judicibus ignotum manet. [1])

« *L'obligation* de dénoncer le meurtre du défunt, *imposée à l'héritier par le N°. 3 de l'art. 727 du Code Civil Français, à été écartée* » ait vir Nobil Nicolai. « *Cette omission se justifie, parce que dans l'état de notre législation criminelle, la poursuite des crimes n'attend jamais la dénonciation; les magistrats, chargés de la vindicte publique, n'ont pas besoin d'être stimulés. Le devoir parle assez haut, et ce langage est la seule garantie que le legislateur doive rechercher. D'ailleurs, si l'assassin du défunt est étranger à l'héritier, qui pourra croire que celui-ci restera muet et dans l'inaction? S'il existe entre eux des rapports de parenté*

1) Cf. Asser, l. l. § 439.

ou d'alliance, la loi retire son commandement, et dispense de l'obligation de dénoncer, afin de ne pas élever un conflit douloureux entre des sentimens et des affections qui se combattent.» [1])

---

1) Vid. Voorduin, l. l. No. IV. Cff. etiam quae de hac Juri Francici dispositione in capite secundo § 3. diximus.

Caput Quartum.

DE INDIGNITATIS EFFECTIBUS.

Ex eo, quod de indignitate constare debeat, sequitur eam non nisi judicio pronunciari posse, atque ita locum praebere actioni judiciariae. Quae actio mere civilis est, quia tantum bona spectat, atque ideo non nisi ad tribunalia civilia deferri potest. Qui de indignitate cognoscere debet judex, est judex in loco domicilii heredis munere suo fungens. Est enim actio personalis, quae regulariter

deferri debet ad judicem in loco domicilii defendentis. [1])

Cum lex nullum tempus definivit, intra quod actio intendi deberet, et cum non de contractu nullo declarando vel rescindendo agitur, de indignitate declaranda actio regulae generali submissa est, ideoque per triginta annos institui potest. [2])

Hanc actionem instituere possunt defuncti cognati, qui ad successionem vocantur una cum indigno, vel qui post eum jus succedendi habent. Sic si nulli supersunt cognati in linea, ad quam indignus pertinet, haec actio institui potest a cognatis alius lineae, vi art. 735 Cod. Civ. Fr., et art. 908 Cod. Civ. Neerl., atque nullis quoque in hac linea exstantibus cogna-

---

1) Art. 59 *Code de Proc. Civ.*, et art. 97 *Wetboek van burg. Regtsvordering.*

2) Art. 2262 *Cod. Civ. Fr.* et art. 2004 *Burg. Wetb.*

tis, ab heredibus irregularibus. Casus igitur exstare potest, quo filius indignus excludatur per cognatum in gradu duodecimo, per liberum naturalem agnitum, per uxorem, imo per ipsam civitatem. Donatarii et legatarii item provocare possunt indignitatem heredis, qui reservatam portionem sibi vindicat. Ut enim reservatam portionem sibi vindicare quis possit, necessario heres esse debet; actionis autem de indignitate declaranda praecipue finis est, ut qualitas heredis ei auferatur, cui lex illam tribuerat. Hoc tamen unice ita obtinet, si una cum indigno non alii exstant heredes, jus ad reservatam portionem habentes. His enim exstantibus, donatarii et legatarii actionem de indignitate declaranda instituere non possunt, quia nihil illorum interest. [1])

---

1) Vid. Duranton, l. l. p. 139. No. 119. Chabot, ad art. 727 No. 21.

Heredes quoque, vel qui in locum succedunt eorum, qui actionem de indignitate instituere poterant, intra utile tempus vero mortui sunt, hanc actionem instituere possunt; succedunt enim in omnia jura defuncti. Creditores vero eius, qui loco indigni ad successionem vocatur, indignitatem tamen non prosequitur, nec eius nomine nec eius loco actionem de indignitate declaranda intendere possunt. Ex art. 1166 Cod. Civ. Fr. creditores quidem jura et actiones debitoris sui exercere possunt, excipiuntur tamen nominatim jura, quae personae debitoris inhaerent; jus autem indignitatis provocandae considerari debet personae heredis proximi inhaerere, a cuius sola voluntate pendet, num actionem intendere velit nec ne. Nec is, qui talem actionem intendere recusat, dici potest hereditati renunciare in praejudicium creditorum; hereditas enim debitori nondum devoluta erat, quod tamen requiritur,

ut articulo 788 locus esse posset. [1]) Ceterum cum dispositio art. 1166 Cod. Civ. Fr. in nostro codice non inveniatur, haecce quaestio jure nostro agitari nequit. [2])

Heres ut indignus a successione exclusus omnes fructus et usuras restituere tenetur, quibus inde a tempore delatae successionis fruitus est. [3]) Heres autem successione fruitur quamdiu indignitas a judice pronuntiata non est; saisinam bonorum nempe habuit quasi heres legitimus. Quodsi indignus declaratus est, omnia emolumenta amittere debet, quae ipsi tribuerat qualitas heredis, qua indignum se praestitit. Restituere igitur tenetur non solum bona hereditaria et pretium rerum hereditariarum venditarum, verum etiam

---

1) Cf. Duranton, l. l. No. 120. Chabot, l. l. No. 21.

2) Cf. Asser, l. l. pag. 482. § 706.

3) Art. 729 *Cod. Civ. Fr.* et art. 886 *Burg. Wetb.*

omnes fructus et usuras, quibus fruitus est, imo omnes sortes et usuras quas percepit, vel a debitoribus hereditatis vel quocumque alio modo; quarum sortium usurae recte quoque ab eo petuntur, licet nullas ex iis usuras ipse percepit. Malae fidei enim possessoris instar habetur: «Neque enim bonae fidei possessoris ante controversiam illatam videntur fuisse, qui debitam officium pietatis scientes omiserunt.» [1])

Nec invocare poterit praescriptionem quinque annorum, ut fructus ante quinque annos perceptos restituere non teneatur. [2]) Praescriptio enim non prodest ei, de cuius mala fide constat; possessor fructus suos non facit nisi sit bona fide; si mala fide est, fructus una cum re ipsa restituere cogitur. [3])

---

1) L. 1. C. *de his quibus ut indignis.*

2) Vid. art. 2277 *Cod. Civ. Fr.* et art. 2012 *Burg. Wetb.*

3) Vid. art. 549 *Cod. Civ. Fr.*

Dicitur denique disertis verbis in art. 729 Cod. Civ. Fr. et art. 886 Cod. Civ. Neerl.: heres indignus declaratus omnes fructus restituere debet, quos inde a delata successione percepisset.

Si heres indignus declaratus debitor defuncti fuit, debitum suum, quod confusione exstinctum fuit, reviviscet, quasi nulla confusio locum habuerit. Si defuncti creditor fuit, credita itidem confusione erant exstincta, et Jure Romano non reviviscebant, quia, ut ait Papinianus: « Nec probe desideraturum actionem confusam restitui. » [1]) Quod tamen etiam jure nostro obtinere non credimus. Sic enim severior redderetur dispositio legis, quae indignum tantum a successione et ab omnibus fructibus, quos exinde percipere potuerit, privat. Lex solummodo sibi proponit îndignum

---

1) L. 17. D. *de his quae ut indignis.* cf. l. 8. eod.

eiusdem facere conditionis ac si numquam heres fuerit; excluditur a successione defuncti, non vero a suis bonis privatur. Dicendum igitur videtur actiones, quas contra defunctum habet, et quae confusione exstinctae erant, post declaratam indignitatem reviviscere. 1)

Quaeritur hoc loco quid juris sit, si indignus ante indignitatem declaratam aliquid fecerit ratione bonorum hereditatis; verbi causa, si vendiderit, donaverit vel hypothecae obligaverit immobilia; vel si de bonis hereditariis cum aliis transegerit; quaeritur, num omnia haec facta tamquam vim non habentia considerari possint ab eo, qui indignum a successione exclusit?

Pendet haec quaestio ab alia: num ipso jure indignitas obtineat nec ne?

Qui ipso jure eam obtinere centendunt,

1) Cf. Duranton, l. l. No. 125. Toullier, l. l. pag. 119. No. 116.

ejusmodi utuntur argumentis. In secundo Codicis capite L. 3. tit. 1., aiunt, de qualitatibus ad succedendum necessariis tractatur; indignitas quaedam est succedendi incapacitatis species; incapacitatem vero ipso jure obtinere nemo dubitat. Tametsi judices de causarum indignitatis existentia decernere debeant, nihilominus lex ipsa pronunciat indignitatem, quod ex principio art. 727 sequitur. Aliud etiam argumentum ex articulo 730 Cod. Civ. sumunt; si nempe judicium suamet efficiat indignitatem, superstitem tantummodo heredem condemnare judicibus liceret, post mortem enim indignum fieri ridiculum foret. Limitate igitur art. 730 dispositio interpretanda esset, cum tamen ex his verbis *sans le secours de la répresentation*, defunctum quoque heredem attingere videatur. Representantur enim soli mortui. Ex illorum igitur opinione judices sententiam dicere pos-

sunt etiam adversus heredem, ante delatam hereditatem; demortuum. Praeterea contendunt pugnam fore inter leges, si sententia admitteretur, indignitatem ipso jure non obtinere. Art. enim 727 indignum a successione removet; illius ergo locum alius occupat, atque a principio successisse habetur; nam *semel heres semper heres.* Interim tamen, ut defendunt adversarii, indignus etiam usque ad judicium heres fuisse censetur; inde, eodem tempore diversae personae ad hereditatis universitatem vocarentur, quod absurdum est. Praeterea nonne aequitati repugnat, indignum, ante judicum sententiam hereditatis bona jure posse dilapidare, ut deinde longe a patria fugiens, divitiis fruatur, male quaesitis?

Qui contrariam tuentur sententiam, i. e., qui indignitatem non ipso jure obtinere contendunt, animadvertunt 1°., indignitatem ab in-

capacitate multum differre, 2°. ipsam legem in indigno heredis qualitatem agnoscere. *Heres* enim disertis verbis nominatur. 1) Ut heredem autem eum agnoscere non posset lex, si indignitas ipso jure ante judicium existeret; nam tunc non esset heres. Praeterea defuncti cognatus per legem ad successionem vocatus, statim eo tempore, quo delata est hereditas, semper saesinam habet; eamque habet jure et facto; *jure*, vi art. 724 Cod. Civ. Fr. et art. 880 Cod. Civ. Neerl., quia heres est in ordine a lege constituto, *facto*, quia per dispositionem legis, eo ipso momento, quo defertur hereditas, in possessionem mittitur bonorum, quibus ea consistit.

Si hereditatem acceptat, dominus fit rerum hereditariarum, et de iis pro lubitu disponere

---

1) Cf. art. 727. No. 3 et 729 *Cod. Civ. Fr.*, et art. 886 *Burgerl. Wetboek.*

potest. Hanc autem proprietatem et saesinam retinet heres usque ad latam sententiam, qua indignus declaratur; huius sententiae vi tantum ei aufertur qualitas heredis, a successione excluditur, atque ideo succedendi jus amittit. Antequam vero sententia lata est, heres exstitit.

Petunt denique ii qui indignitatem non ipso jure obtinere contendunt, argumentum ex art. 727 N°. 3 Cod. Civ. Fr. Ibi scilicet sermo est de indignitate, quae a defectu denuntiationis de morte defuncti faciendae oritur; defectus ille non nisi post certum temporis a nece defuncti intervallum existit; igitur non nisi post apertam successionem existit indignitatis causa, non potest itaque indignitas, quae est effectus, ante idem tempus existere, siquidem effectus ante causam suam existere non potest. Constat ergo indignitatem ortam ex causa sub N°. 3 art. 727 allegata ipso jure existere non

posse; inde facile efficitur idem locum habere, quod ad duas alias indignitatis causas attinet. Etenim initio illius articuli dicitur: *sont indignes de succéder;* haec verba referuntur ad tres indignitatis causas inferius enumeratas; et cum, quoad tertiam illarum causarum, haec verba indicent indignitatem non ipso jure existere, debent idem quoque significare quoad duas alias indignitatis causas; nam ea verba semel tantum in art. 727 leguntur, et idem verbum, semel expressum, duas significationes habere nequit, ut pulchre habet L. 4 § 2 D. *de Vulgari Subst.* —

Quum igitur indignitas non ipso jure obtineat et indignus ante judicium revera heres sit, exinde sequitur, omnia valere, quae ante judicium ut heres fecerit; nam jure fecit. Quod autem ad quaestionem prius propositam attinet, ex dictis satis patet, eum, qui indignum excluserit, non posse rescindere vendi-

tiones, donationes et hypothecas ab indigno ante judicium factas, si scilicet ii, quibuscum contraxit indignus, bona fide erant tempore actorum, id est, si nec facta nec condemnationes cognoscebant, quae heredem indignum reddere debebant; non vero refert an ipse heres fraudulose egerit, ut indignitatis effectus praeveniret. Ut quis rite cum herede agat de bonis hereditariis, sufficit, ut constet eum revera esse heredem, eumque ideo jus habere disponendi de ea re, quae est contractus objectum. Indignitas porro raro locum habet. Facta, quae aliquem indignum reddere possunt, fere semper latent; ignorari ea possunt et eos, qui bona fide cum herede indigno contraxerunt, huius ignorantiae poenam pati non oportet. Quum igitur sententia, qua indignitas declaratur, non eam habeat vim, ut alienationes et hypothecas rescindat, in gratiam eorum, qui bona fide

jure dantis, *solvitur jus accipientis.* Discrimen, quod hac in re obtinet inter eum, qui *titulo oneroso* atque eum, qui *titulo gratuito* acquisivit, exinde praecipue sequi putat, quod hic *de lucro captando*, ille vero *de damno vitando* certet.

Ad haec vero respondet Duranton: distinctionem inter eos, qui de damno vitando et eos, qui de lucro captando certant, ex jure saepe faciendam, ad hunc casum applicandam non esse. Quum enim ille, qui indignum exclusit, per hanc exclusionem jus acquirat, quod initio ad eum non pertinebat, hoc ipso certissime lucrum facit; huius igitur rei ratione, eiusdem conditionis est, ac donatarii, de quibus agitur, quique insuper prae illo possessione gaudent: ast *in pari causa melior est causa possidentis.* [1])

1) Cf. Duranton, l. l. No. 127.

Quidquid sit, etiamsi viri Chabot sententia praeferenda possit videri, est tamen discrimen admittendum inter donationes ab indigno factas in favorem matrimonii donatariorum atque alias. Fieri enim potest, ut nuptiae hujus donationis tantum respectu initae sint; spem igitur sponsorum, qui bona fide esse semper praesumuntur, frustrari non oportet. Praeterea, quum lex ipsa declaret, donationes in favorem nuptiarum factas revocari non posse ob causam ingratitudinis [1]) (quae legis dispositio in donatarii, licet ingrati, utilitatem nuptiarum gratia constituta est) praesumendus non est legislator voluisse, ut possit revocari donatio ab indigno ante judicium facta in gratiam nuptiarum. Nuptiis enim generaliter favet legislator. Melior in-

1) Cf. art. 959 *Cod. Civ. Fr.*, et art. 1727 cum art. 234 et cum art. 227 *Burg. Wetb.*

super est donatarii causa in hoc casu quam in illo. In hoc donationem accepit ab indigno quidem, ab eo tamen, qui tempore donationis, eius faciendae jus habebat, neque propter ingratitudinem ea donatione se indignum reddidit. In illo contra accepit quidam itidem donationem ab eo, qui donationem faciendi jus habebat, ea tamen donatione indignum se praestitit, illaque revocari posset, nisi facta esset in favorem matrimonii. Quum igitur legislator constituerat in priori casu donationem ne ob ingratitudinem quidem revocari posse, nonne etiam dicendus est legislator noluisse, ut in altero casu donatio revocaretur, in quo ingratitudinis accusari donatarius nequit? Attamen heredi superest actio ad indemnitatem contra indignum declaratum.

Jam haec de effectibus indignitatis sufficiant. Superest, ut pauca, quod ad indignitatem et successionem defuncti attinet, vide-

amus de liberis indigni. De his autem statuit art. 730 Cod. Civ. Fr. «*Les enfans de l'indigne venant de leur chef et sans le secours de la réprésentation, ne sont pas exclus pour la faute de leur père, mais celui-ci ne peut, en aucun cas, réclamer sur les biens de cette succession l'usufruit que la loi accorde aux pères et mères sur les biens de leurs enfans.*» Similis dispositio in Codice Civili Neerlandico continetur art. 887:

«*Kinderen van eenen onwaardig verklaarden persoon, uit eigen hoofde tot de erfenis komende, zijn niet uitgesloten door de schuld van hunne ouders; doch deze zijn in geen geval bevoegd, om van de goederen dier nalatenschap het vruchtgebruik te vorderen, hetwelk de wet aan ouders op de goederen van hunne kinderen toekent.*»

Codicis tum Francici tum patrii Civilis conditores manifeste injustam veteris jurispru-

dentiae dispositionem abrogare voluerunt, qua liberi indignae personae ob parentum crimina puniebantur, eos excludente a successionibus, ad quas cognationis gradus eos appellabat. Hunc juris antiqui rigorem non adoptavit Codex, liberos ad successionem, qua pater indignus declaratus est, admittens, si ex propria persona, sine representatione a lege ad successionem vocantur. Sic, si v. c. filius condemnationem subierit propter mortem patri illatam, eius liberi successionem avi acquirent, licet hic adhuc patrem matremve reliquerit. Nec obstat defuncti parentes primo gradu esse, cum homicidae liberi tantum secundo sint gradu. Successio enim devolvitur primum per ordines, et in primo ordine sunt liberi et descendentes; ideoque in specie proximitas gradus consideranda non est, quia defuncti parentes in alio ordine sunt constituti. Item, si quis indignus

successione cognati cuiusdam, ad cuius successionem vocabatur, liberos habet, et si in eadem linea exstant etiam nepotes alius cognati demortui, qui cum indigno in eodem gradu erat, excludentur hi nepotes a liberis indigni, quia uno gradu remotiores sunt. Quodsi contra cognati praedefuncti liberi exstant, indigni vero tantum nepotes, hi ab illis excludentur. Si vero eodem sunt gradu, partem hereditatis eorum lineae tributam per capita divident. Si filius condemnatus est propter mortem patri illatam, et fratres sororesque habet et liberos; vel si frater indignus est declaratus, quia accusationem calumniosam contra fratrem intenderat, atque itidem fratres habet et liberos: in hisce casibus sequitur ex legis dispositione, indigni liberos excludi a patruis et amitis, quia sunt gradu proximiores.

Talem esse mentem patrii quoque legislatoris patet ex responsis ad animadversiones ab

ordinibus generalibus factas. Dicitur enim in hisce responsis. «Representatie *van een levend persoon kan geen plaats hebben; doch dit belet niet, dat de kinderen* uit eigen hoofde *optreden. Indien toch de* onwaardige *persoon een kind heeft, zal dat kind de erfenis niet beuren, wanneer de erflater nog andere nakomelingen heeft nagelaten, om dat men geen levend persoon (den onwaardige) kan vertegenwoordigen. Wanneer echter bij mangel van nadere bloedverwanten van den erflater, het kind* de naaste *erfgenaam is, treed hetzelve* uit eigen hoofde *op.*» [1])

Licet quidem aliquo modo severa possit videri haec legis dispositio, quia sic liberi indignae personae, quodammodo indirecte puniuntur propter parentis delictnm, casus

---

1) Cf. Voorduin, opere laud. Tom. IV. pag. 19. No. III.

tamen superius relati nullam difficultatem praebent, si indignus tempore delatae successionis adhuc in vivis est. Tunc enim proprie ipse indignus excluditur, non vero eius liberi. Hi scilicet patrem suum representare non possunt, quia representari nequeunt personae, quae tempore delatae successionis in vivis sunt. [1]) Rite igitur excluduntur per patruos et amitas, qui gradu sunt proximiores.

Quodsi de hoc tantum casu esset intelligendus art. 727, Cod. Civ. Fr., nulli difficultati locus esset. Quum tamen in hoc art. dicatur: *venant de leur chef et sans le secours de la réprésentation*, quaeritur, num excludendi quoque sint liberi indignae personae *praedefunctae*, an vero ope representationis ad successionem admittendi?

Qui eos excludendos esse existimant, aiunt:

---

1) Cf. art. 744 *Cod. Civ.* et art. 894 *Burg. Wetb.*

Sensus horum verborum videtur hic esse: non excluduntur liberi indignae personae, si ex sua persona ad successionem veniunt; excluduntur vero in omnibus casibus, in quibus non nisi ope repraesentationis ad successionem venire possunt. Praeterea verba articuli nullum sensum praeberent, nisi essent intelligenda de casu, quo representationi locus esse possit, id est de casu, quo is, qui representari debet, naturaliter vel civiliter mortuus est tempore delatae successionis, quia representari non possunt personae eo tempore adhuc exstantes. Denique representatio plus juris tribuere nequit, quam quod haberet ille qui representatur; in specie itaque cum filius tamquam indignus a successione patris esset amovendus, eius liberi ad successionem avi venire non possunt, sed excluduntur a patruis.

Ad haec autem responderi potest: codicis conditores noluerunt, ut liberi indigni puni-

rentur ob parentis delicta; quodsi in casu proposito a successione excluduntur, revera ob parentum delictum punirentur. Voce *représentation* legislator non semper utitur proprio sensu; non semper vox illa intelligenda est de casu, quo jam praedefunctus est ille, qui representari debet. Verbi gratia in art. 787 sermo est de representatione heredis qui *renuntiavit;* praesumitur itaque heres adhuc in vivis esse. Durum denique erit indignitatem post mortem pronunciare, idque solum in incommodum liberorum. Praeterea eorum pater proprie indignus non est; indignitas enim exstare non potest, nisi aperta successione; atque fieri potest, ut eo tempore de indignitate quaestio esse nequeat, ratione eius, qui indignus foret declarandus, quia eo tempore successionem capere non valet, quia incapax est; indignitas vero praesumit capacitatem

Talia sunt argumènta pro unà alterave sen-

tentia allata, quae egregium in modum exposuit Vir. Cons. Duranton. [1])

Plures Cod. Civ. Franc. interpretes articulum intelligunt etiam de casu, quo jam praedefunctus est is, qui indignus est declarandus. [2]) Videtur tamen Toullierus sententiae addictus, hunc articulum esse intelligendum tantummodo de casu, quo indignus, tempore delatae successionis adhuc in vivis est. Dicit enim. [3]) «*Les fautes étant personnelles, les enfans de l'indigne ne sont pas exclus de la succession pour la faute de leur père pourvu qu'ils puissent venir à la succession de leur chef et sans le secours de la réprésentation*, car on ne peut répresenter une personne vivante.» Quae sententia (si in tanto hominum doctissimorum dissensu sententiam proferre tiro-

1) Quem vide l. l. No. 131.

2) Cf. Duranton, l. l. Chabot, ad art. 730. No. 1.

3) L. l. No. 112.

ni liceat) nobis verior videtur cum ob argumenta superius allata, tum quia ipse legislator videtur modo casum spectasse, quo adhuc in vivis est indignus. Quod prae ceteris efficiendum putamus ex verbis, quae in fine art. 730 occurrunt: «*mais celui-ci ne peut en aucun cas réclamer sur les biens de cette succession l'usufruit que la loi accorde aux pères et mères sur les biens de leurs enfans.*»

Similis quaestio nuperrime quoque jure nostro mota est. [1]) Qui quaestionem posuit, sententiae favet, indignum ne post mortem quidem representari posse per suos liberos, ratione successionis, qua indignum se praestitit. Ad hanc sententiam inprimis movetur argumento, representationis eam esse vim, ut is, qui representat, veniat in locum, gradum et jura, quae ille, qui jam mortuus est,

---

1) *Regtsgeleerd Bijblad.* 2. Deel. pag. 129 en volg.

haberet, si adhuc viveret. Ad haec autem merito responsum videtur, liberum ope representationis succedentem jus suum non a parentibus sed a lege accipere, quocirca art. 895 statutum est, aliquem representare quoque posse eum, cuius successioni renunciavit: legem autem liberis et descendentibus jus succedendi tribuere, atque representationem admittere in infinitum et in omnibus casibus, dummodo is, qui representatur, mortuus sit. 1) Praeterea non omnimodo verum est, eum, qui representat, non plus juris habere posse quam is haberet, qui representatur. Etenim hic quum praedefunctus sit, succedendi *incapax* est, et ex hac eius incapacitate descendentes suam capacitatem derivant. Ceterum eo minorem difficultatem haec quaestio jure nostro habet, cum, quia

1) Cf. art. 889 et 894. *Burg. Wetb.* et *Regtsgeleerd Bijblad.* p. 132.

verba, quae jure Francico praecipue huic quaestioni ansam praebuerunt, in Codice nostro non inveniuntur; ibi enim tantum legitur, *uit eigen hoofde tot de erfenis komende;* tum quia de mente legislatoris dispositionem art. 887 tantum de casu, quo indignus adhuc in vivis est, intelligentis, satis patet. Dicitur scilicet in responsis a summo Imperante datis: «*Indien de onwaardige persoon een kind heeft, zal dat kind de erfenis niet beuren, wanneer de erflater nog andere nakomelingen heeft nagelaten, omdat men geen* levend *persoon* (*den onwaardige*) *kan vertegenwoordigen.*» Attendendum denique est dici in Art. 887: *Kinderen van eenen onwaardig verklaarden persoon.* Ut igitur huic art. applicando locus esse possit, requiritur, ut *indignus declaratus* sit. Hoc autem fieri non potest antequam aperta sit successio ad quam vocatur ille, qui ea indi-

gnus est; si igitur mortuus est, ad hanc successionem vocari non potest, ideoque de indignitate quaestio moveri nequit.

Quamvis itaque jure Francico aliquod dubium circa interpretationem art. 727 C. C. exstare possit, jure nostro tamen non dubitamus statuere art. 887 tantum intelligendum esse de casu, quo indignus adhuc exstat tempore delatae successionis, qua indignus declaratus est.

Si pater indignus declaratus est, eiusque liberi ex sua persona ad successionem vocantur, lex disertis verbis bonorum hereditatis usumfructum parentibus aufert, quem, quoad bona liberorum, generali regula ex lege habent. Est enim consentaneum hisce de indignitate dispositionibus, parentem indignum nullo modo frui bonis successionis, qua indignus declaratus est.

TANTUM.

THESES.

I.

Jure nostro novissimo ad ineundum matrimonium matris superstitis, quamvis ad secundas transierit nuptias, nec in tutela sit confirmata, non vero tutoris consensu egent liberi.

II.

Liberi jure representationis hereditatem qua fuisset pater demortuus indignus, jure novissimo capere non prohibentur.

III.

Si heres defuncto mortem quidem, attamen non dolo sed culpa intulit, atque ob id factum condemnatus est ex art. 319 Cod. Poen. in indignitatis poenam incidere non videtur.

IV.

Nec indignitatis poenam subire heredem statuimus si ex art. 322 reqq. Cod. Poen. excusationi locus est.

V.

Licet heredi, qui condemnatus est propter caedem defuncti, poena remissa sit ex clementia regis, indignum tamen declarari eum posse defendimus.

VI.

Is, cui ex clementia regis poena criminis remissa est, alio crimine perpetrato, ex art. 56 Cod. Poen. puniendus est.

VII.

Quod in art. 323 Cod. Poen. statutum est parricidium nunquam excusandum esse, id non videtur pertinere ad eas causas ex quibus in art. 327 seqq. neque crimen neque delictum committi dicitur.

VIII.

Per appulsionem, de qua agitur in § 21 Inst. *de rerum divisione* non tantum arbores, sed etiam pars agri, vicini fundo adquiruntur.

IX.

Querela inofficiosi testamenti non est remedium praeparatorium, sed ipsa hereditatis petitio.

57

CORRIGENDA.

Pag. 42	lin. 1	pro	*seleris*	legatur	*sceleris.*
» 70	» 1	»	*p uedefuncti*	»	*pue defuncti.*
» 81	» ult.	»	*centendunt*	»	*contendunt.*

